

## Observatio.

Quædam obtrudunt adversarii Romanorum Pontificum exempla, qui in Principum temporalia jus sibi vindicarunt, quorum estiam nonnulli Reges et Imperatores suâ dignitate exuere tentarunt: hujusmodi autem facta congerendo, nihil omninò proficiunt, nisi probent Summos Pontifices, ita se gerendo, autoritatis suæ limites non transiisse: quod ut assequerentur, hætenus nequicquam desudarunt: jus enim quod in Regum temporalia sibi arrogare ausi sunt quidam Pontifices, nunquam juxta Scripturæ et Traditionis regulam, ut oportuisset, expensum fuit; nunquam ab universa Ecclesia definitum, et Papæ assertum: nunquam non reclamârunt Imperatores. Reges Episcopique plurimi; solâ igitur viâ faci hinc actum fuit, ex qua legitima possessio non potest inferri.

Qui primus omnium quotquot extiterunt Pontificum, contendere ausus est XI seculo Gregorius VII posse Reges claviam autoritate è solio dejecti, à totius retrò antiquitatis fide recessit. Cum enim jam ab initio non desuissent crimina, propter quæ Principes suâ dignitate exuendos esse docent adversarii, hæresis nimirum immanis Ecclesiæ vexatio; cur ergo nec populus Christianus, nec Episcopi, nec Summi Pontifices, de *indirecta* potestate nihil unquam cogitarunt? Cur oscitantes Pontifices à pessimis Imperatoribus Ecclesiam vastari, fidem violari patiebantur? cur jure suo non utebantur? cur urgente tam gravi necessitate, Reges deponendi non adhibuerunt potestatem, nisi quia eam à Christo sibi non concessam fuisse persuasurâ habebant?

## COROLLARIUM.

Ex his omnibus quæ de prædictâ veritate exposita sunt, sequitur non ipsi inhærendum; tan-

quam meræ opinioni, quam pro suo quisque arbitrio rejicere possit vel admittere, sed tanquam sententiæ verbo Dei, Patrum traditioni, Sanctorum exemplis consonæ et omninò retinendæ, ex qua maximè pendet Ecclesiæ Regnorumque tranquillitas. Utinam, depulsis tandem posteriorum sæculorum præjudiciis et nebulis, universalem in ea defendenda consensionem quamprimum efficiat omnipotens animorum dominator Deus!

## CAPUT V.

*Utrum Episcoporum Jurisdictio à Romano Pontifice immediatè derivetur.*

JURISDICTIONIS potestas spectari potest, vel quoad primam illius institutionem et *collationem*, vel quoad exercitii limitationem. Non diffitemur jurisdictionis potestatem, quoad exercitii circumscriptionem in singulis Pastoribus, à sola Ecclesiæ autoritate repetendam esse. Hæc quippè Ecclesiæ in varias Dioceses, quarum intra limites coërcetur Episcopus quisque, distributio, non à Christo qui singulos Apostolos in orbem univ. sum miserat, habet originem, sed à sapiente Ecclesiæ œconomia; tota igitur controversia circa primitivam jurisdictionis institutionem et *collationem* versatur. Hanc à Christo soli Romano Pontifici, à quos ceteros in Episcopos diffunditur, collatam volunt Theologi *ultramontani*, quibus alii meritò refragantur. Cum iis sit propositio.

## PROPOSITIO.

*Suam Episcopi à Christo Jurisdictionem, non à Romano Pontifice, immediatè habent.*

Probatur 1°. Apostolis successisse Episcopos ore

unanimesi testantur Patres et Concilia. *Omnes (Episcopi) inquit S. Hieronymus, Apostolorum sunt successores. (Ep. ad Evangelum, tom. 4. part. 2. pag. 303.) S. Augustinus in Psal. 44; Quid est pro paribus tuis nati sunt tibi filii! Patres missi sunt Apostoli; pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Concilia Florentinum et Tridentinum declarant Episcopos in locum Apostolorum succedere. (Tom. 13. Concil. pag. 536, et tom. 14. pag. 863.)*

Porro indè suam Episcopi jurisdictionem habent; undè eam habuerunt Apostoli quibus succedunt: illud enim successoris proprium est, ut potestatem suam ab eo teneat, à quo eam accepit ipsius antecessor; alioqui non foret successio, sed nova quædam institutio: atqui Apostoli non à Petro, sed à Christo suam receperunt jurisdictionem sive jus ea definiendi quæ ad Religionem spectant, leges condendi, earumque violatores puniendi. Constat enim non à Petro: sed à Christo duodecim discipulos ad Apostolatam fuisse delectos: *Nonne ego vos duodecim-elegi!* ait Christus. (*Joan. 6. 71.*) *Elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit: (Luc. 6. 13.)* Atqui ipsis Apostolicam dignitatem conferendo, simul et jurisdictionem contulit; ad illud enim munus evecti sunt ut Ecclesiam regerent: atqui sine potestate leges statuendi, eorumque contemptores coercendi, nec stare, nec exerceri potest administrandæ Ecclesiæ autoritas, ut patet; ergo suam omnem Apostoli jurisdictionem à Christo, non autem à Petro duxerunt: ergo pariter Episcopi ipsorum successores, suam à Christo, non autem à Rom. Pontifice jurisdictionem acceptam habent.

Prob. 2º. Eadem nunc est, quoad originem, Episcoporum, quæ fuit Apostolorum ætate, jurisdictionis. Ridiculum enim esset duplicem fingere Episcoporum classem, alteram scilicet veterum qui à Christo, alteram recentiorum qui à Romano

Pontifice jurisdictionem habeant; atqui primis Ecclesiæ nascentis temporibus. Episcoporum jurisdictionis immediatè manavit à Christo: nam Apostoli passim Episcopos insituerunt; S. Paulus, v. g. ordinavit Timotheum et Titum; S. Joannes in Asia minori Episcopos consecravit; atqui Episcopi ab ipsis Apostolis instituti suam à Christo jurisdictionem receperunt: quis enim absque ratione evidenti dixerit S. Paulum et S. Joannem non à Christo, sed à Petro fuisse delegatos, ut Episcopalem jurisdictionem conferrent, ergo etc.

Prob. 3º. Si totam à Christo jurisdictionem ita accepissent Summi Pontifices, ut ex ea quantum vellent in ceteros derivarent, singularem hanc prærogativam non ignorassent, nec tacuissent; atqui tamen plurimi suat Romani Pontifices, quos latuit tantum privilegium: non semel enim confessi sunt, Episcopos suam à Deo jurisdictionem deducere; sic, v. g. Gregorius III Episcopos alloquitur; *Populum vobis à Deo commissum piis admonitionibus edoceatis: (Epist. 4. ad Episcopos Germaniæ)* sic Leo IV ad Episcopos Britanniarum: *Gregem vobis à Domino commissum pascitis;* sic Gelasius II ad Galliarum Episcopos scribens: *Libenter acquiescimus..... fratrum nostrorum judicio, qui à Deo sunt iudices in Ecclesia constituti. (Epist. 1.)* Atqui in *Ultramontanorum* hypothesi dicere debuissent Romani illi Pontifices, gregem Episcopis non à Deo, sed à Papa fuisse commissum; Episcopus non à Deo, sed ex liberalitate et beneplacito Summi Pontificis constitutos esse in Ecclesia iudices; ergo, etc.

Prob. 4º. Ex sacra Facultate Parisiensi quæ eandem doctrinam constanter retinuit, ita ut contrariam à suis defendi non patiat, et in aliis censurâ non semel notaverit. Sic anno 1429, *Joannes Sarazin* istas propositiones suscepit propugnandas: *Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, aliæ à Papali potestate, sunt ab ipsa Papa, quantum*

ad institutionem et collationem. — Hujusmodi potestates non sunt de jure divino, nec immediate institutæ à Christo. Indignatus sacer ordo jussit prædictum Theologum profiteri. 1°. Omnes potestates jurisdictionis Ecclesiæ, alias à Papali potestate, esse ab ipso Christo, quantum ad institutionem et collationem primariam; à Papa autem et ab Ecclesia, quantum ad limitationem et dispensationem ministerialem; 2°. inferiorum Prælatorum jurisdictionem esse immediate à Deo, idque Evangelicæ et Apostolicæ consonare veritati.

Ejusdem doctrinæ egregiam vindicem variis temporibus sese exhibuit Facultas Parisiensis. Jacobum Vernantium qui ab ea veritate recesserat an. 1664, gravi censurâ sic confixit: *Hæ propositiones, inquit, quarum duæ priores asserunt Apostolos non fuisse constitutos Episcopos à Christo, ceteræ verò, potestatem et jurisdictionem Episcoporum non esse immediate à Christo, falsæ sunt, verbo Dei contrariæ, et olim à sacra Facultate reprobata.* Quam censuram die 25 Junii anni sequentis ab Alexandro VII damnatam, egregiè vindicavit Senatus Parisiensis.

#### Solvuntur objecta.

Obj. 1°. S. Optatus Milevitanus contra Parmenianum sic docet: *Petrus præferri Apostolis omnibus meruit, et claves Regni cælorum communicandas ceteris solus accepit.* ( *Lib. 7. contra Parmenian. n. 3.* ) Undè sic: Qui solus recepit claves Regni cælorum, aliis communicandas, ceteris etiam confert jurisdictionem; atqui Petrus, ac proinde Romanus Pontifex illius successor, solus recepit claves, etc. ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Qui solus recepit claves ceteris communicandas à seipso, ceteris etiam confert jurisdictionem, conc. maj. qui solus primùm recepit claves, deinde communicandas ceteris à Christo, neg. maj.

Verum

Verum quidem est Petrum solum aliquandò claves recepisse ceteris communicandas, imò reipsâ aliquantò post concessas; sed à Christo, non à Petro, nisi dicantur Apostoli suam à Petro jurisdictionem habuisse; atqui illud admitti non potest; 1°. quia Christus Apostolis dixit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* ( *Joan. 20. 21.* ) 2°. Quia Paulus apertè testatur se à Christo jurisdictionem accepisse cum ait: *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.* ( *Galat. 1. 1.* ) 3°. Quia constat Apostolos à solo Christo fuisse institutos: *Vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit.* *Luc. 6. 13.* ) Atqui absurdum videtur, eos qui à Deo electi sunt Apostoli, ab homine, nimirum à Petro, claves sive jurisdictionem recepisse; ergo, etc.

Obj. 2°. Innocentius I. in epistola ad Concilium Carthaginense sic habet: ( *A Petro* ) *ipse Episcopatus, et tota Autoritas nominis hujus emerit.* ( *Tom. 2. Concil. pag. 1284.* ) Idem in epistola ad Concilium Milevitanum, ait Episcopos omnia referre debere ad Petrum, id est, sui nominis . . . autorem, ( *Epist. inter Augustianas 182. tom. 2. pag. 639.* ) ergo Christus in Petro, et proinde in Romano Pontifice illius successore, autoritatis Episcopalis fontem posuit.

Resp. Dist. ant. Objecta Innocentii verba eo sensu intelligenda sunt, quod in Petro claves toti Ecclesiæ cujus personam gerebat, et singulis Episcopis datæ sint, conc. ant. eo sensu quod illas ab ipso Petro accipiant, neg. ant.

Porrò hæc Innocentii I. et similia veterum loca non debent ad litteram accipi. Si enim verborum cortici inhæreas, et velis Episcopatum, totamque hujus nominis autoritatem esse à Petro, inde sequetur ipsos Apostolos potestatem Episcopalem à Petro primùm habuisse; quod sanè absurdum est, et negat ipse Bellarminus; docet enim Apostolos, sicut et Petrum, omnem suam potestatem à Christo

Tom. I.

C c

immediate accepisse. Id unum ergo significatum voluit Innocentius I scilicet in Petri persona claves toti Ecclesiæ, quam propter suum primatum referebat, et singulis Episcopis fuisse à Christo concessas.

Obj. 3°. Hæc sunt S. Leonis verba: *Si quid cum eo (Petro) commune ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit.* (Serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum, cap. 2. pag. 53. col. tom. 2. edit. Lugd. 1700 in-fol.) ait etiam Christum à Petro, tanquam à quodam capite, dona sua velle in corpus omne manare, (pag. 217. col. 1. tom. 1.) ergo voluit Christus in Petro, ideòque in ejus successore Romano Pontifice, residere jurisdictionis et potestatis Ecclesiasticæ fontem, cujus rivulos in singulos Episcopos, pro suo arbitrio, derivat.

Resp. Neg. conseq. His enim et similibus sententiis commendatum voluit S. Leo Beati Petri privilegium, in cujus persona toti Ecclesiæ, quam suum ob primatum representabat, et aliis Pastoribus datæ sunt claves regni Cælorum, ut toties à Patribus dictum vidimus. Nunquam autem existimavit suam Episcopos autoritatem à Petro et Romano Pontifice mutuari. Imò in eadem Epistola testatur à Deo esse Sacerdotum dignitatem; ait enim *dignitatem divinitus datam Sacerdotibus à se non abrogari.* (Ibid. cap. 2.) Præterea ad litteram accipi nequeat S. Leonis verba, quin inde sequantur absurda, taòtòque Pontifice indigna. Si enim *Christus à Petro tanquam à quodam capite, dona sua voluit in corpus omne manare*, concludendum erit, 1°. Suam Apostolos autoritatem à Petro accepisse, quod rejicit ipse Bellarminus: 2°. Romanos pontifices à Petro, non autem à Christo suam accipere jurisdictionem; siquidem ad corpus Ecclesiæ pertinent.

Obj. 4°. Si Episcopi suam à Christo jurisdictionem traxissent, eam limitare vel auferre nefas

esset; atqui tamen potest limitari et auferri, ut apud omnes constat; ergo; etc.

Resp. neg. maj. Ut enim jurisdictionis Episcopalis, licet à Deo immediate fluxerit, circumscribi, vel etiam aliquandò penitus auferri possit, sufficit Christum eam ita contulisse, ut tamen Ecclesiæ obnoxiam esse voluerit; atqui rem ita esse ex sæculorum omnium usu et agendi ratione comprobatur. Præterea habet, ex omnium consensu, Romanus Pontifex suam à Deo jurisdictionem; atqui tamen, si in hæresim incidat, eique pertinaciter adhæreat, suâ jurisdictione spoliari potest, ergo licet jurisdictionis sit à Deo, potest ex ipsius instituto per homines auferri. Cujus rei, præter voluntatem Dei, hæc ratio potissima est, quòd jurisdictionis relativa sit ad subditos, in quos exercetur. Quemadmodum autem plures vel pauciores Ecclesia potest alicui committere, sic et justis de causis potest eos penitus subtrahere, si id postulet fidei vel morum integritas.

Obj. 5°. Non Possunt Episcopi Apostolorum successores esse, quin eorum jurisdictionis eadem sit ac ipsorum Apostolorum, et proinde universalis; atqui tamen non hujusmodi est Episcoporum jurisdictionis, ergo non sunt Apostolorum successores.

Resp. neg. maj. possunt enim Episcopi Apostolorum successores esse, licet eorum jurisdictionis minus latè pateat quàm Apostolorum; ut enim aliquis alteri succedere merito dicatur, non necesse est in eum transmitti singularia quædam privilegia illius antecessoris personæ propria. Quamvis, v. g. Romanus Pontifex Petro in iis omnibus non successerit quæ Petro concessa fuerunt, minime sequitur eum non esse Petri successorem; idem igitur de Episcopis sentiendum est; nec mirum videri debet, quòd Episcopi minus latam habeant jurisdictionem quàm Apostoli, quorum tenent locum. Prorsus enim diversæ sunt temporum et circumstantiarum rationes. Primis scilicet Aposto-

lorum temporibus, nullæ erant Ecclesiæ fundatæ, sed ab ipsis erant in variis mundi partibus instituendæ; postulat igitur Christianæ Religionis utilitas ut nullis limitibus coërceretur Apostolorum jurisdictio. Longè autem aliter se res nunc habent; nisi enim intra certa quædam loca restringeretur Episcoporum autoritas, eam quæ patet orbis Christianus singuli exercere possent, multique vellent; quanta verò indè nasceretur in omnibus Ecclesiis confusio et perturbatio, facile intelligitur.

Inst. 1°. Nullus ferè Apostolus fixam habuit sedem; ergo Episcopi in suarum regimine Ecclesiarum Apostolis non succedunt.

Resp. Neg. conseq. Quamvis enim plerique Apostoli fixas sedes non occupaverint, pro successoribus tamen eos habent qui certis præsumunt Ecclesiis; isti quippè autoritatem exercent, qua instructi fuerunt Apostoli, et quæ Episcopis in perpetuum instituendis transmittenda erat.

Inst. 2°. Si Episcopi Apostolis, et proindè ipsi Petro succederent parem cum Romano pontifice autoritatem haberent: atqui illud dici non potest ergo, etc.

Resp. dist. maj. Parem cum Romano Pontifice autoritatem haberent ratione Episcopatus, conc. maj. ratione primatus, neg. maj.

Sicut enim ceteri Apostoli, ut ait S. Cyprianus, fuerunt cum Petro *pari consortio prædii honoris et potestatis*, at salvo primatu Petri, ita Episcopi Apostolorum successores, Romano Pontifici sunt pares ratione Episcopalis autoritatis. Porrò Episcopi non immeritò dicuntur Petri successores, non quatenus primatum habuit; sed quatenus Episcopatum gessit. Undè S. Cyprianus, Epistola 67 ad Romanum Pontificem, *servandus est*, inquit, *antecessorum nostrorum, Beatorum Martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus*. Sanctus Ephrem in Encomio Sancti Basilii, sic habet: *Basilius locum Petri obtinens*, etc. (pag. 555. col. 2.) Denique Sanctus

Gaudentius Brixiensis Sanctum Ambrosium vocat *Beati Petri successorem*. (Serm. in die suæ ordinationis. Bibl. Patr. Tom. 5. tract. 16. p. 968.)

Obj. 6°. Ille Episcopis jurisditionem immediatè confert, qui eos per Bullas instituit: atqui Romanus Pontifex Episcopos instituit per Bullas, in quibus sic loquitur: *Providemus Ecclesiæ de persona N. ac præficimus eum in Patrem ac Pastorem et Episcopum Ecclesiæ talis, committentes ei administrationem in temporalibus et Spiritualibus*; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. 1°. Quia hæc per Bullas facta institutio, non ita necessaria est, ut sine ea nullus esse possit verus Episcopus; siquidem in Gallis nullum ipsius extat vestigium, ante famosum Leonis X. et Francisci I. *Concordatum*, nec in usu unquam fuit apud Orientales. 2°. Quia ex hac consuetudine non magis inferri potest, Episcoporum autoritatem à Papa, non autem à Christo, immediatè derivari, quam licet concludere Romanum Pontificem suam mutuari, vel à Cardinalibus à quibus eligitur, vel à iis qui eum consecrant.

Obj. 7°. *Qui se, Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Episcopos* profitentur jurisditionem suam eidem Sedi debere se agnoscunt; atqui Præsules passim suis in scriptis profitentur se *Episcopos Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ*; ergo, etc.

Resp. Neg. maj. Hanc enim formulam adhibent Episcopi; tùm ut suam cum Ecclesia omnium prima communionem apertam faciant; tùm ut electionem suam à Pastorum Principe confirmatam testentur; non verò ut eidem suæ jurisditionis originem referant; nam ea formula non est autoritatis à Papa acceptæ velut confessio aut argumentum, cujus nullum tota in antiquitate reperias exemplum; atqui prædictæ formulæ nullum, etc. si enim erudito Thomassino Congregationis Oratorii D. Jesu fides habeatur, anno tantùm 1251

à Nicosiensi Episcopo usurpari cœpit. Ante seculum XIII Episcopi *non Apostolicæ Sedis beneficio, ut nunc fit in plerisque locis*, sed tantum *divinâ gratiâ aut miseratione*, se Episcopos nuncupabant. Quâ de re consule Thomassinum. ( *De Discipl. Eccles. part. 1. Lib. 1. cap. 59.* )

Locos Theologicos qui gravius sunt momenti, hactenus exposuimus; nunc satis erit alios raptim perstringere.



## DISSERTATIO VII.

### De Theologorum autoritate.

QUAMQUAM *Theologi* appellari merito possint et debeant veteres *Ecclesiæ Patres*, à quibus accepta est quæcumque vera sanaque est *Theologia*, usus tamen invaluit; ut eo nomine donarentur scriptores, qui post medium sæculum XII, quo desiit in sancto Bernardo *Patrum* appellatio, desacra doctrina disseruerunt. *Theologia* verò ratione methodi quæ in ea tractanda usurpatur, in *Positivam* dividitur et *Scholasticam* quæ inde nomen habet, quod juxta methodum in Scholis usitatam pertractetur. Inter utramque illud discriminis assignari, solet: quod *Positiva* stilo utatur elegantiori, diffusiori, et magis oratorio; *Scholastica* autem dialecticum morem usurpet, concisum adhibeat dicendi genus, et artis syllogisticæ regulis accuratius sese accommodet.

Quamquam, si magis propriè loqui velis, non in eo differt *Scholastica* à *Positiva*, quod dialecticè utatur; hanc enim nonnunquam adhibuere Patres: Magister verò sententiarum: qui *Scholasticæ* *Theologiæ* parens dicitur, nunquam argumentatur;

neque etiam in eo discrepant, quod sermonis ornatum refugiat *Scholastica*; sunt enim *Scholastici*, qui non sine elegantiâ scripsere, ut *Melchior Canus* et alii; hoc unum igitur inter utramque videtur esse discrimen, quod *Scholastici*, ut plurimum, omnes *Theologiæ* partes in unum corpus collegerint, et cum certa methodo tractaverint; *Patres* verò, hanc vel alteram tantum *Theologiæ* partem exposuerint, pro data occasione et necessitate.

In æstimanda *Theologorum* *Scholasticorum* autoritate duplex et oppositus error declinandus est. Primus est eorum qui *Theologiam* *Scholasticam* insectantur ut inutilem, imò perniciosam; ita maxime *Pseudo-Reformati*, eam nunquam reprehensuri, si potuisset ipsorum novitatibus sese accommodare. Eò dementiæ anno 1520, venerunt *Wittembergenses Hæretici*, ut *Scholasticorum* libros feretro impositos, magnâ ministrorum *Populique* frequentiâ, ad mediam *Urbem* deferrent, et celebritatis defunctorum vigiliis, in ardentem rogam projicerent. Ita in *Appendice* ad *Naucleri Chronicon* refert *Surius*. *Sucundus* error plurimorum est recentiorum, qui tantam *Theologis* *Scholasticis* tribuunt autoritatem, ut vel unus illis sufficiat, ad conciliandam cuilibet opinioni eam probabilitatem, quæ ad tutè agendum juxta ipsos sufficiat.

### PROPOSITIO I.

*Theologia Scholastica utilissima est.*

Probatur. Vera *Theologia Scholastica* ea est, quæ fidei morumque doctrinam ex *Scriptura*, *Traditione*, *Patribus*, *Conciliis*, *Pontificum Decretis* aliisque *Scriptoribus Ecclesiasticis* colligit, et collectam certo disponit ordine, facili methodo pertractat, omnis generis argumentis confirmat, et